

et Conradi quicquid de eodem censu in ecclesia dumtaxat Misnensi duxerint ordinandum. Ne autem nostra donatio in posterum ab aliquo nostrorum successorum ex pravis et iniquis perversorum machinationibus aliquatenus infringatur, praesentem litteram conscribi super eo fecimus et sigilli nostri munimine roborari. Testes autem huius rei sunt dominus Sifridus praepositus Budesinensis, magister Johannes noster scriptor, dominus Heinricus miles dictus Burlaban, et Wichpertus noster cappellarius, et Hermannus camerarius et quam plures alii fide digni. Datum Misnae anno domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. LX<sup>o</sup>. VIII<sup>o</sup>. XVII<sup>o</sup>. Kal. Junii, pontificatus nostri anno secundo.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem Siegel des Bischofs an einer leinenen Schnur.

No. 205. 1268. 13. Juli.

*Probst und Capitel genehmigen die vom Domherrn Sifrid von Pegau beantragte solenne Feier des Tages der h. Margareta durch Absingung ihrer Lebensgeschichte in der Domkirche und eine Spende an die dabei gegenwärtigen Domherren und Vicarien und die Kirchendiener.*

In nomine sanctae et individuae trinitatis amen. Cunradus dei gratia praepositus, Bernhardus decanus totumque Misnensis ecclesiae capitulum universis Christi fidelibus praesentem litteram inspecturis tam praesentibus quam futuris salutem in omnium salvatore. Noverint universi, quod dominus Sifridus de Pygauia noster canonicus beatae Margaretae speciali gaudens veneratione, quia eiusdem apud deum suffragiis innititur adiuvari, ipsam in hoc mundo summa cum devotione a devotis Christi fidelibus voluit honorari. Nobis igitur universis ac singulis humiliter supplicavit, ut historiam propriam beatae Margaretae in laudem et gloriam eiusdem virginis in ecclesia nostra maiori Misnensi vellemus annis singulis decantare. Nos vero tam pium affectum domini Sifridi sinceriter intuentes concessimus, ut historiam beatae Margaretae et duplex festum in die natali eiusdem in nostra ecclesia in perpetuum peragatur. Verum quia in festis maioribus dominis nostris servitia praebendarum aliqua solent dari, ne solempnitati supradictae aliquid desit, praefatus dominus Sifridus triginta solidos Vribergensium denariorum legalium quos in villa Schepe rebus propriis comparavit nostris dominis nec non vicariis assignavit, quos distribuendos ordine censuimus subnotato. Inter canonicos videlicet in praebendis tam in minoribus quam in maioribus constitutos praesentes duntaxat et emancipatos talentum dividetur, excepta ab eodem talento decima hospitalis, id est duobus solidis, et exceptis tribus denariis, qui exinde custodi pro compulsatione cedere debent. Inter vicarios vero tam temporales quam perpetuos praesentes in choro decem solidi dividuntur, sed pro parte accipiet qui pro parte fuerit praesens. Ut autem haec ordinatio firma sit et inviolabiliter perseveret, et a posteris nullatenus infringatur, praesentem litteram super eo conscriptam sigillo nostri capituli duximus uniformiter roborandam. Datum et actum Misnae in ecclesia nostra maiori anno domini millesimo ducentesimo sexagesimo octavo in die beatae virginis Margaretae.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem wohlerhaltenen Siegel an weissleinerer Schnur.